

P
A
N

10565

Prof. Dr. K. Twardowski

10565

Thomae Preworscensis

IN

Henricum Sienkiewicz

DIATRIBE.



CHICAGO, ILL., 1917

DR. THOMAS MISICKI, SCRIPSIT EDIDITQUE.

Thomae Preworscensis

— IN —

Henricum Sienkiewicz

10565

DIATRIBE.

Prof. Dr. K. Twardowski



CHICAGO, ILL., 1917

DR. THOMAS MISICKI, SCRIPSIT EDIDITQUE.

10565



Amicissimo meo,
GERVASIO KUBEC,

presbytero Brooklyniensi,

Viro in Deum et in patriam pietate laboreque celebri,

libellum hunc sacrum facio.

DR. THOMAS MISICKI,
Dioeceseos Cracoviensis presbyter.

Die III. Kal. Julias,
A. D. 1917.

H-123678

K
19.12.99
A. 869



PAN 10565



Si quis Romano eoque classico sermone honorari meruit, certo Henricus noster, in quem nuperrime "Senior" quidam blande et concinne quaedam, cetera vero nimium brevibus neque accuratis conscripsit.

Equidem facile tacerem, cum in re illa concinnata pauca mihi corrigenda, plura potius addenda esse opinarer, nisi me Eugenius vicinus, virorum pigerrimus ipse, quamquam causae aequae peritus, neque mihi dispar, multa vituperatione et hortatione concitasset.

"Seniorem" condemnare ausim, quod Sienkiewiczium non affatim laudaverat, dein quod immodestiae cuiuspiam eum accuserat, quae in "Quo Vadis" exarando quasi eluxisset.

In agona igitur trepidus procedam ac brevibus perscribere propono, quae lingua mea candida Polona, argumentis longioribus, confirmabo, Henricum Sienkiewicz non ex clarissimis scriptoribus unum fuisse, non clarissimorum sodalem et quasi collegam exstitisse, sed capite toto atque ingenio summo, si ita dicam, ceteros superasse, ut facile non aequalis, contra aliorum princeps nuncupandus sit.

Neque egomet amoris isto turpis patrii genere sollicitor et impellor, ex quo hodie plurimi laborant, ut cum Polonus esse glorièr, Polonis tamquam oculis solis alios intuear; veritate et pulchritudine operum premor conscriptorum, atque ingenii acumine et nobilitate convictos, qui haec perlegerint, habebo.

* * * * *

Tribus mihi excellere rebus scriptoribus ceteris Sienkiewiczius videtur.

Imprimis quidem res narratu difficillimas narrandas prae se sumpsit.

Tum scribendi ratione admirabili usus est, in qua bellissima artificium et scientia elucent.

Denique iustitia et fide rerum scriptarum inter Europae universae scriptores eminuit. Non vulgi desideria putrida se-

cutus, non odiis aut amoribus popularium intentus suorum, — sed aeternorum velut custos iurium, ac christianae cultor honestatis, genti Polonorum et orbi cuncto lumen pacemque praetulit, “integer vitae scelerisque in lectores purus.”

* * * * *

Modestiam ac decentiam christianas in opere Sienkiewicziano “Quo vadis” laesas esse facile denegabo, atque habeboprobatum.

Ceterum, etenim soli ipsi cum maculae inhaereant, non mirandum, quod in Henrico Magno nonnulla vituperanda inveniuntur.

Faveant mihi, qui haec legerint; postquam finiverint, satis mihi praemii ac laudis dabitur, si Polonorum maximus scriptorum laudationibus cumulabitur amplioribus.

* * * * *

I

Temporibus novissimis nullus profecto populus tot tantisque percussus obrutusque est calamitatibus, Polonis exceptis: ereptae iis terra et lingua, ipsa quasi vivendi et laborandi voluntas dempta et sublata, radicitus eorum animi et studia suffocari coepta. Et in religionem et in scholas Polonorum saevitum est. Non teneris parcitum pueris, non domus laribus sacris condonatum, dummodo, qui Aborigines fuerant, locis suis pellerentur aut, si perseverassent, exitium iis celerius pararetur.

Saeculo XIX., cum annis 1830. et praesertim denuo 1863. insurrectionibus duabus exhausta fuisset armorum vis Polonorum et spes omnis abiecta, manus et animi nostrorum torpuerant. At Deus nostri meminerat, ac poëtas primum suscitavit quos vates et nationis prophetas fecit: Adamum Mickiewicz, Julium Słowacki, Sigismundum Krasiński, Cornelium Ujejski, plurimos alios, qui suorum manus sustinerent cantibus incomparabilibus, atque animos erigerent conservationis certitudine. Poëtae cecinere suavissima, at non semper vera, nimium gloriae pristinae memores, vitiorum autem nationis oblit.

Clarissimi tum historiarum scriptores suscitati: Szujski Joseph et Valerianus Kalinka, permulti alii, qui acerbiora et pudenda, sed vera, documentis comprobata, suos docuere, ut crimina luerentur vetera, neve antiquis indulgeretur maleficiis.

Disruptio igitur quasi in animis effecta, atque in Polonorum mentes irrepsere: desperatio, ignavia, in partitores ultio et odia, inter suos dissidia.

Cum nimirum animi optimi cuiusque vacillarent, et post annum 1880, quae nos diviserant imperia, novas pararent insectationes, missus est nobis vir admirabilis, Henricus Sienkiewicz, qui quasi fulmen Poloniam universam funditus concussit et elevavit, et sicut flamen sacer, Polonorum iter directurus erat.

Poëtas celeberrimos nostros secutus, carminibus dum dulcibus aures praeberet, amore patriae supremo ictus est, sed peccatorum nationalium non immemor, cum historicos nostros illustres perscrutatus esset, animo perterritus est, et medius stetit inter vates et gentis suae celebres magistros, genius tamquam suis et angelus, qui consolaretur suos, ad coelum usque eveheret, animos pacaret contritos, odia et dissidia dispelleret, fide, spe, caritate, Poloniam reconciliatam recreatamque adimpleret.

Tempora Polonorum historiae maestissima selegit, saeculum XVII., cum iam optimatum superbia effrenata, ac nobilium impudentia, omnia in interitum magnis itineribus ruerent.

Regi tamquam simulacro ligneo auctoritas adempta, latae leges contemptae, conventus nationales pedibus quasi conculcati, equitibus licentia omnis data, — nulla fere urbanis rusticisque, religio ipsa despectui tradita. Bellum civile atque immane ortum. Tum finitimi, qui Poloniam dissidiis debilem credebant, civium perfidia et ductu, eam vastant et capiunt.

Aufugit rex, Polonia omnis, spe omni abiecta, depressa et moribunda.

At, qui celerius spem et fidem amiserant, multo velocius ad eas regressi, cum Kordecki, monachus sanctus, Beatissima

Virgine Adiutrice, Sueciae ducibus "Częstochowam" oppugnantis restitisset. Incendium violentum vastumque pietatis in Deum et patriam factum: Joannes Casimirus rex redit, peruelles pelluntur, Polonia libera et gloriosa evadit.

Denique, iterum Turcarum universa moles Poloniam aggredditur, Europam omnem absumpturi. In Polonis numero paucis, fortitudine principibus, murum ferreum saxeumque invenere. Optimus quisque perit, vel suos libenter sacravit; crux salva effecta, Europa a Turcis avulsa, cultus humanus civilisque conservatus.

Crescebant Polonis animi, decrescebant odia, augebatur virtus et minuebatur segnitia, erumpebant, ut semper flagrant, fides et spes, cum tredecim "Trilogiae" volumina manibus tererentur piis et tremulis.

Nemo umquam validioribus vocibus nationi suae acclamaverat: "Patimini fortes et confidite. Laborate et orate. Certamina et discrimina sustinuerant patres vestri plura et maiora, at victores exstiterant. Socordia dein et dissidiis et impietate in Deum et in suos periere. Sursum corda!"

Artifex vero maximus non dictis sententiis ista praedixit Sienkiewiczus, sed imaginibus et characteribus quasi libris illis igne inustis; quapropter libri illi Polonos concussos animis tenere, et iis exstiterere solamen et exprobratio et praeteritorum conscientia et futurorum firmitas.

Mitto opera eius alia pulcherrima, transgredior ad librum immortalem qui "Quo vadis" inscribitur.

Iam pluribus annis ante, libellum Sienkiewiczus composuerat, cui titulus: "Sequamur Eum." Poloniae et Europae universae scriptorum clarissimus, delicatissimo motu Crucem sacram indicaverat, ubi doloribus medicina esset, atque animis corporibusque aegrotis Iesum Christum medicum solum designaverat, qui mortales curaret omnes. Non divitiis, non voluptatibus, non scientia fieri homines felices!...

Tum in initia religionis Christianae transiliit enarranda, thema certo difficillimum.

Neronis tempora describenda adire sane audacis fuerat viri, ne dicam petulantis. . . In ethnicis et Christianis scriptoribus optimi fuere, qui rem tractaverant affabre: Tacitus incomparabilis, Suetonius, nostris vero fere temporibus Gibbon Anglus, Mommsen Germanus. Tarnovius criticus iuste asserit tunc temporis Sienkiewiczium totam gloriam suam periclitatum fuisse. Quomodo post Wiseman cardinalem, post Wallace auctorem libri "Ben Hur", qui proxima narraverant tempora, Henricus Sienkiewicz perarduum aggressus est opus et qua ratione exegit? . . . Omnium scriptorum et rerum victor evasit et fama eius annos per multos universum percrebruit per orbem, numquam peritura.

A mortuis excitati Nero et Petronius et Lucanus et Tigellinus et Poppaea et Acte suavis et alii plurimi. Vivunt omnes aguntque.

Dum librum legis admirandum, in Foro Romano incedis, viam Appiam percurris, cum patritiis ac cum servis graderis et colloqueris, in conviviis commoraris et admiraris subtiliter dicta, seu contemnis foetide iocosa. Atria et cubicula Romanorum, balnea et tonstrinae et tabernae, animi voluntatesque mulierum virorumque, partim vix perstricta, partim longius narrata omnibus patent, ut non Cracoviae aut Philadelpiae habites, certo contra, Romae aut Neapoli aut Cumis degere videaris.

Quapropter intelleges recte, id quod Sienkiewiczium summa veritate arteque voluit intellegi, sane miraculum maximum fuisse hominum illorum transformare naturam moresque ac cum miraculum effectum fuerit certo Dei digito directas res et profecto religionem Christianam divinam sacramque esse.

Tum illis lassis, sicuti Petronius erat, voluptariis, ut Vini-cius agebat, falsis et callidis, ut Chilo procedebat, reliquis millium millibus usque ad medullam, si dicere licitum sit, corruptis aut deformatis novae res novique obiciuntur homines, in quibus "Christus regnat Christusque imperat."

Ex tumultis igitur sacratis surrexere coramque nobis omnibus loquuntur operanturque Petrus et Paulus Apostoli, pres-

byteri et fossores, *Lygia dulcissima* et *Ursus*, creaturarum *Sienkiewicianarum* sane exquisitissimus, *Stanislai Tarnowski* iudicio dignissimus, qui sculptus optimis *Michaëlis Angelo* operibus adiungeretur.

Si *Sanctus Petrus Romae*, seu aliis in locis Christianos allocutus erat, profecto iisdem paene usus est vocabulis, quae ori eius *Sienkiewiczus* iniecit. Quae simplicitas, quae certitudo, quae sublimitas orationis, in *Iesu Christi* teste primario, *Apostolorum* principe!.....

Ubi gentium *Henricus Sienkiewicz* eloquentiae Christianae arcana didicerat? Ubi et assertor fidei solidus et defensor sapiens instructus?...

At satis esto, ne libellum conscribere videar. Paragraphi certo multae doctaeque exornentur necessum est, ut bibliotheca *Sienkiewicziana* praeparetur, quae scholae instar grandis operis "*Quo vadis*" inserviat.

II.

Stanislaus Tarnowski, *Universitatis Cracoviensis* vetustissimae professor, post *Brunetiere Gallum* certo critices artis litterarum monumentorum *Europae universae* cultor et arbiter elegantissimus, atque iustitia et sagacitate incomparabilis, inter alias in *Henricum Sienkiewicz* vel maximas laudationes, illud mirabile edixit, quod, si qua terrificata fortunae vicissitudine seu cataclysmo horrendo libri cuncti *Polonorum* extincti forent solaque *Sienkiewiczii* opera remansissent intacta, lingua nostra multo pulchrior ac locupletior restitui posset.

Visione quasi divina, quae intuitio appellatur, labore plurimo confirmata, ditissimam *Polonorum* linguam novis reficit vocabulis, vetera redipiscitur, ut opera eius tamquam pyxis aurea omnibus, qui rei conscii, gemmarum instar nitescere videantur.

Dum in "*Cruciferis*" *XV. saeculi* historiam textit conficitque, archaismos sic dictos evitat, at facile iuraveris, si *Zbyszko iuvenis*, *Jagienka puella*, *Jurand martyrum Christianorum*

summus alii permulti hodie apparuissent, omnes sermone simili uterentur, ac Sienkiewicziano agerent modo.

Item, dum XVII. saeculi gloriosas et tristes in Polonis res enarrat, dum proceres et nobiles et rusticos ante oculos nostros quasi incedere iubet, dum in "Trilogia" illa admirabili, voluminum paene quindecim, certamina permulta, colloquia innumera depingit, quilibet legis, tamquam artificis baculo teneris, ne utquam taedio ullo afficeris; et rides et ploras et Poloniae gloriam admiraris pristinam, et futuram maiorem anhelas.

Sienkiewiczus, ac si in animos actorum et in temporum medias res intrasset, summa et ima hominum et rerum penetrarat, ac praecordia mortalium cognoverat, arte velut magica.

Iuste igitur et venustissime Tarnovius ille scribit, cum ceteri fabularum auctores historicarum archeologia et descriptionibus innumerabilibus lectorem vexent et miserum reddant, Sienkiewiczium, consiliis atque instrumentis aliis spretis, sola animarum expositione, Polonis et orbi portenta litterata procreasse.

Qui quidem maximorum scriptorum inter veteres et novissimos peculiari quadam re et componendi modo claruerant, in Sienkiewiczio reperies iteratum et auctum.

Henricum Sienkiewicz opera cum revolvis, Homerum et Demosthenem et Sophoclem et Tacitum et Dante eximium et Shakespeare tragicorum maximum et Macaulay contortum at suavem relegere videris, ac si optimus quisque auctorum in eum coaluisset.

Metaphorae et comparationes maxime variae, epitheta ornantia sicuti margaritae parvulae, ubique libellorum diffusa et aspersa.

Et amores et odia hominum quis cecinit speciosius et magis scite?

Quisnam patriae amorem, non falsum, non ex gentium odiis aliarum constantem, sed Iesu Christi magisterio divino consonum, firmiter praedicavit?

Quis Polonorum stirpi praeclarae, et vitia maxima, et gloriam vastissimam, verius et amabilius in faciem iecit, ut su-

perbia et iactantia relictis genti resuscitandae operam navarent?

Quis incantatione miranda, operibus suis, illas sublimes et immanes fascinavit personas et species, quae, — bonae sint aut malae — donec sermo Polonus exstiterit, vocibus magnis clarisque inclamitabunt Polonos, ut altiora petant perquirantque, aut perterreantur?

Quis umquam Podbipięta equitis fortissimi et maxime pii oblitus erit, dum moribundus Litanias recitaret, aut Kmicic petulantis primo, dein pro Virgine et patria audacter dimicantis, cum et nomen et honorem et vitam nihili habuisset, ut priscos errores et infamiam obliteraret?

Aut quis umquam scriptorum tragoedorum principum spectacula illa nullo alio humano sermone narrata depinxit, dum Wiśniowiecki dux coram Crucifixo in genua prostratus, conscientiae suae examen terit, aut Radziwiłł proditor perditus, immatura abripitur morte, criminum memoria vivida et fame sitique et religionis dubiis tortus et concussus, aut dum Jurand, grandis doloris et patientiae vir Martyrque Polonus secum vehementer certat et vindictae et suimet ipsius victor evadit?

Quid plura? Euripides neque Shakespeare res magis tragicas usquam attinuere.

Sinatis adiciam Zaglobae personam subtilem et marmoream, cui aequalis in nullis gentium omnium conscriptis monumentis inveniatur. Iocorum eius et epigrammatum thesaurus facillime si ceteros alios etiam duodenos connectas, nitore veritateque vincet; Shakespeareanus Falstaff, nebulo et bibulus, Zaglobae vix armiger famulusque fieri meretur.

Tandem si ad librum "Quo vadis" transferimur, quis umquam sermone venustiore usus est? Quis usquam libellorum personas rariores candidasque confecit, Sienkiewiczio excepto?

Ubi primum interrogatus fuero, quod sit secretum, ne dicam mysterium — admirabilis potentiae pulchritudinisque Sienkiewiczii scriptorum, facile probaverim, vim illam residere in dotibus mirandis, quod omnes artes ingenuae animo eius

quasi coniunctae fuere, ut et pictor eximius, et sculptor egregius, et architectus maximus, et poëta elegans et orator disertissimus una in operibus eius conspicerentur. Si in 'Trilogiae' voluminibus eluxerant dotes illae magnificentissime, hic operis ingenti resplendent uruntque igne. En pictorem eximium, cum ludos gladiatorum, cum christianorum martyria, cum Ursum, taurum strangulantem, cum Romae incendium enarrat!

En architectum incomparabilem, qui in domum illam splendidam lucidamque, cui nomen "Quo vadis" est, centenas iniecit res faciesque, at nihil intricati reperies, atque aedificium unum mirificum oculis tuis obicitur. En sculptorem excelsum, qui marmore ex exquisitissimo et potius materie ex eborea tres illas effinxit statuas: Petronium, Chilonem, Ursum. En poëtam et oratorem, sane oratorum et poëtarum principem, dum, licet versus non fecerit, neque ullam causam publicam dixerit, fecundus troporum et ironiae mordacis, simul delectat convincitque. Quis alius, si exempla quaeris, duas illas Petronii moribundi epistolas, componere posset, Sienkiewicziani monumenta ingenii, primam ad Vinicium valde oratoriam disertamque, alteram ad Neronem poëticam ac mordentem?...

III.

Aetate nostra permulti ac illustres floruerunt scriptores, ingenio ac perspicacitate insignes, qui et Angliae et Germaniae et Galliae et Italiae renovatis, permagno exstitere nitori. Neque pusillae Belgarum genti, neque Russiae, nuper barbarae et rusticae nationi viri defuere, artis pulchre atque ingenue scribendi maxime gnari, inter suos et Europaeos omnes famosi.

Ut alios mittam, laudes validiores, quam meruerant, canere quisque et Mariae Corelli, prodigiosae mulierculae, et Victori Hugo, et Alphonso Daudet, et Aemilio Zola, et Gabrieli d'Annunzio, et Leoni Tolstoj, et Maximo Gorky, quos omnes cultus atque humanitas vix tetigere Christi Salvatoris doctrina, ut potius et iustius "neo-pagani" vocandi essent. Pudet me Polonorum meminisse Joannis Kasprowicz, Stanislai Przy-

byszewski, Casimiri Tetmajer, multorum aliorum, qui illos malarum magistros rerum, non solum adaequaverunt, sed immo superaverunt. Permaxime dolendum — Polonis omnibus nefandam rem! — quod sermo noster purus pudicusque fabulis lascivis scriptis contaminatus est et — qui dolor immanis fit — ingeniis ornati summis auctores in ruinam sibi ipsis et patriae ierunt praecipites!...

Maximus quisque cum insaniret, Henricus Sienkiewicz lue ista non affectus est.

Iam multis annis ante, epistolam conscripserat publicam, quid de rebus et scribendi rationibus Zolanis sentiret. Rem et scribendi modum contempsit. Permulum, ait, esse in terra coenum lutumque, rem facillimam in luto volutari, et coenum depingere. Atqui praeter putrida atque horrida inveniri plura casta et nitida et gloriosa, quibus invitentur scriptores et vocentur, sed difficilium esse quae pulchra sint describere. Aegrotis aëra non impurum maxime necessarium, medicinam et salutem dandas, non venenum porrigendum, — moribundis vitam deferendam, non pugionem vel sicam, — Lazaris mortuis resurrectionem praedicandam, non perniciem.

Longiores et pulchriores sunt sententiae quam quae hic libelli excudantur; certissimum est, neminem scriptorum audacia et iustitia maioribus collegas perfidos fuisse allocutum.

Aliis non praedicabat solum, sed dux princepsque veri, recti, pulchri praeibat.

In Ruthenos ac Lithuanos iustissimus, odia ab hostibus callide sata cultaque repellebat monebatque suos, ut patientia atque amore recuperarent, quae ignorantia mendaciisque amissa videbantur.

Hostibus tribus partitoribus Poloniae audacter veritatem proponebat, at vel sedulissime Polonos ipsos hortabatur, ut odiis in eos se exuerent, in illa difficillima re, amore patrio non obcoecatus, sed vir sublimis funditusque Christianus.

Permittant mihi lectores Tarnovii illius Cracoviensis verba praeclara adducere, quae Sienkiewiczii gloriae statim post

“Quo vadis” promulgatum fecerat; nemo verius Henricum scriptorem laudavit.

“In litterarum monumentis “artisticis” aetatis nostrae ne unius quidem operis recordamur, in quo character religiosus ac catholicus tam exacte tamque firmiter pateat, in quo auctoris sensus fidei sanctitate et Ecclesiae magnitudine usque ad ima transspiciatur.

Ex unaquaque pagina, ex unaquaque scena convictionis sensusque sinceritas comparet.

Liber universus est huius veritatis professio, huius convictionis et veritatis glorificatio. Vinicius eiusque conversio, martyrum mortes et salvationes miraculosae, paganitas vacuitate et infamia suis desperata, sanctus Petrus, sive sub laboris dolorisque sarcina occidens, sive semet ipsum aliosque roborans, seu denique mortis momento regnans et benedicens urbi et orbi, omnia ista quasi choro clamant: Unus Deus, una fides, unum baptisma, et: “Tu es Petrus”, et: “Ego sum via, veritas et vita”. Profanas res, magisque instruentes, sensus magis pios religiososque in lectoribus excitantes, ad meditationem religiosam magis moventes, repetere liceat, aevo nostro non novimus.

Atqui, quo tempore, quas inter civitates, quas intra “litteraturas”, quas intra fabularum historias opus illud apparet? Odium apertum, bellum, christianitatis negatio vehemens; corruptio luxuriesque tantae, ut homines animalia videantur, aut “pessimismus” addolens, sed ne misericordia quidem dignus, adeo imbecillis, aeger, noxius: aut sincera forsitan, sed languida nebulosaque desideria cuiuslibet veritatis sine fortitudine voluntateque eam vere quaerendi, — ista sunt, quae ex ephemeridibus et variarum linguarum libris ab Aquilone usque ad Austrum, et ex “fabulis” — neque minime — corrumpunt, dilaniant, putredine inficiunt hominum societates animasque.

Nonne eae sunt hodiernae “litteraturae” ab Ibsen usque ad d’Annunzio, et a Maeterlinck usque ad Tolstoj? Et eodem tempore, ex una terra, ex una lingua, surgit “fabula”, quae sicuti in deserto Iudaeis aegrotis aeneum serpentem, veritatem

unicam monstrat, sanam salutaremque, et mundo hodierno paene ita putrefacto, uti iste Romanus illic temporis fuit, quaestionem sistit: "Quo vadis?" viamque indicat, qua sola ad verum vitamque itur.

Asserere non haesitamus scriptori hoc fuisse meritum coram Deo et hominibus, communitati autem, quae eum emiserat, bonum exstitisse testimonium et gloriam.

Notari alia oportet.

In illo libro omnibus est magna institutio, sed imprimis fit solatium magnum nonnullis, praecipue perpetentibus, infelicibus.

Afflictio, infortunium, persecutio increscere nequeunt; mundi imperium malo traditum. Illi omnes Christiani iam arbitrantur a Deo se esse derelictos, ipseque sanctus Petrus interrogat: "Domine, cui mundi gubernacula dedisti?"

Tria per saecula Ecclesia, nisi sancta fuisset, uti erat, sentire potuit Deum caesaribus contra seipsam esse suffragatum. Postea, tota per saecula, mundus Christianus potuit cogitare Deum Mahometo favisse, cum ei Asiam, Africam, propemodum Europam quoque permisisset.

Attamen probatum est Deum neque Neroni neque Mahometo suffragatum esse. Attamen sanctus Petrus mortuus est, sed in Papa vivit vivetque usque ad finem mundi. Attamen, ipse ille Vinicius, qui "miraculum" oraverat, erogavit et miraculum ipsum, cum iam illud non postularet solumque repeteret: "Credo, credo, credo."

Clara res est, si contra Vinicius sese longius in luto voluisset, ad quod breviter rediit, — si Glaucus ignoscendi loco maledixisset, — si Crispus, vice placati submissique animi, in irritatione sua maledicta minasque iecisset, — si pauperes Christiani Romanas divitias pompasque concupivissent et invidissent, si sanctus Petrus, fidelis at mente pusillus, Roma exiisset, — revera misericordia non facta esset, neque miraculum, neque pagani mundi corrupti victoria Crucis!...

Permagni aliquid sine dubio in opere illo invenitur, et Sienkiewiczus, qui eius titulo "Quo vadis?" inscripserat, sub

finem eius intrepide iusteque scribere potuerat, ut medii aevi scriptores pii consueverant: "Ad maiorem Dei gloriam." "

Ingenio vel maximo non abusum esse, sane plurimum laudanda res; at omne per longum vitae curriculum causis patriae et Ecclesiae optimis serviisse ingenue et laboriose, certo aeterna memoria dignum.

IV.

Et "Senior" et ante eum permulti alii Sienkiewiczium immodestiae accusarunt, quod vitam moresque paganorum apprime immundis vocabulis imaginibusque pollutis depinxisset in opere "Quo vadis?" cui simile usquequaque non inventum fuisse inter omnes constat.

Audiveram equidem, cum universus orbis Sienkiewiczii laudes proferret ac proclamaret, Romae nonnullos "praelatos" librorum indici vetitorum opus admirandum infigere voluisse; putidam atque affectatam rem!... Atqui iustitia veritasque vicerunt, ut primum Pontifex Maximus ipse, paginis proscribendis perlectis, summas laudes dixerat ac Sienkiewiczium laudaverat. Relata mihi refero.....

Causas non perspicio, cur prudentes perspicacesque viri in illis scenis et rebus quidquid condemnaverint, cum maxime necessarias fuisse nemo negaret, ut gentilium indoles animi ingeniique demonstraretur.

Quomodo ille, qui solus inter fabularum auctores narratarum universos, contra lasciviam et luxuriam publice proeliatus erat, ipse iniquorum pestem participasset? Si scenas et res, quae libidinosae videntur, finxit, certo deesse non potuere eaque fuere, sine quibus conditio et natura hominum ethnicorum exquisite non describeretur.

Sicuti in Bibliis in Levitico et alias, quae legis erant, naranda fuerunt, neque in indices Romanos ponenda....

Si quae medicis et sacerdotibus scitu necessaria, non citra necessitatem scribenda et discenda earum quae ad luxuriam attingunt rerum, simili ratione ad historiarum veritatem monstrandam et ad sanctitatem religionis Christianae evehendam,

picturata ista spectacula et colloquia, cum maxime necessaria evaserint, prava esse nequeunt.

Exeuntium corrupti et decrepiti paganorum mores narrandi quomodo erant, si quidam sermones lascivi, si inter prandia et pocula, turpia quaedam, non perstricta fuissent? At quis Sienkiewiczium accusarit amatoriae libidinis excitandae, aut aures lacessendi prurientes?...

Deinde confestim, neque brevibus, sed imaginibus copiosioribus, Christianorum vitam moresque depinget narrabitque, ac si exclamet: En gentilium effrenos mores et loquelam putridam, contra vero, en sacra nova itinera et beata tempora Christi futura!

Neque me quis vituperet, quod Henricum nostrum purgaverim, cum Zola et Sue et Daudet et alii celebres scriptores, necessitatem vera dicendi prae se tulissent. Necessitatem reicio, comparisonem et narratorum et narrandi modorum denego. Sordida quaeque finxerant isti ac sordidis sordidiora sola addiderant, ut hominum animi in malum moverentur, quasi honestas virtusque omnes a terra profugissent.

Ceterum, et illud admirabile et horrendum lacus lucique spectaculum, et alterum palatii Neroniani, certo horridum et pudendum, tanta arte tantisque sublimibus interseritur apparatibus, ut verecundia quodammodo conservetur, atque acutus quisque solum et sollers dicta comprehendat, et quae forsitan turpiter edicta fuere, artificii opimitate eximiaque astutia obumbrentur.

Denique "castis omnia casta" hic dixerim atque adicere ausim, Henricum Sienkiewicz non vulgaribus profanisque composuisse lectoribus, non vilibus scripsisse animis, qui et liberali doctrina eruditi, et ingenii pectorisque excellenter dotibus. Grandes "Quo vadis" operis paragraphi excelsiores sunt et subtiliores, quam quae mentibus offerantur communibus aut effervis; certo non intellegentur aut perperam iudicabuntur. Quisnam porrigat gemmas rusticis aut facinorosis?... Nonne ipsi liberaliter instructi, dum legendo "Quo vadis" delectantur fateri coguntur, numerosa folia praeclari libri plenissima esse iocis

elegantissimis, ubi rerum ignari suspicantur dedecora?... Non immodestus Sienkiewiczus, sed exquisitus et verax fuit.

V.

Si quae ei, — librorum eius quasi umbellas perstringere liceat — vituperanda sint, inter alia parvi momenti duo ista edicam, primo quod, in conventiculis Christianorum enarratis, solummodo Petri, Romani Pontificis primi praedicationem omnino sublimem produxerat, Sacrificii vero Eucharistici mentionem omittendam putaverat; quasi protestantibus, qui saeculo XVI. Europam omnem et religionem veram diruperant bifariam, ludere et placere intendisset.

Arcani disciplinam nemo citare hic conetur, ut Sienkiewiczum de culpa purget, cum Eucharistiam nominibus maxime variis commemoratam esse necesse fuerit neminemque lateat, iam illo tempore Eam tamquam centrum cultus Christiani fuisse atque insuper fidelibus et medicinae instar et escae divinae serviisse.

Tum, id quod critices artis unus de praestantissimis Stanislaus Tarnovius animadverterat, vitio cuiquam ducere audeam, quod Henricus noster Beatissimum Petrum solum, mirabili imagine, pinxerat, contra vero Paulum Apostolum, vix breviter nominarat. Cur Christi Iesu missorum maxime insignem Paulum, qui Petro sine dubio in multis anteierat, quae humana et divina putantur, primatu solo excepto, ductibus exiguis ac contractis perstrinxerat? Enimvero, si cui auctori, Pauli effigies miranda, inter Apostolos animo et pietate gigantis, creanda — si cui alii eius persona, statura parva, at ingenio et epistolis prope divina, sculpenda erat, certo Henrico Sienkiewicz, qui in coaequalibus mente et animi nobilitate tantopere valuit, quantum ille in Ecclesia pristina inter suos egregius et illustris floruerat, nulli alii comparandus viro.

* * * * *

Brevibus coartare me finibus intenderam; res ipsa in Henricum magnopere crevit. Quare parcatur mihi, quaeso.

Non permulti Polonorum, saeculis ante, fuerant, qui Polonorum nomen et gloriam orbi universo praedicassent: Copernicus, astrorum numerator, Sarbievius, poëta qui Horatius Christianus dicitur, Hosius, ex praesidibus Concilii Tridentini unus, Matejko pictor Cracoviensis, alii.

Illi admirabili clarissimorum coronae virorum Henricus Sienkiewicz adiectus est, dicere nequeam, an non maximus.

Etenim inter Gallos, Germanos, Anglos — Muscovitas quoque non mittam — nonnulli, si clarescere et gloria et laudibus copiosioribus circumdari coeperant, non rerum memoria scriptarum meritoque eminuerunt, contra dixerim, patriae claritate et linguae celebris notitia gloriosa cacumina ascenderunt, in colles summos quasi iniuste eveci. Equidem non dubito, quin si Poloni fuissent, eorum nomina oblivioni tetrae tradita essent.

Henricus Sienkiewicz solus, supremos gloriae apices, nobilissimo cuique animo, inter Polonos et ceteros assecutus est, operum suorum re et pretio verissimis et maxime candidis.

Neque tempus, rerum miserarum edax, illud pretium splendoremque conteret ac comedet; immo, equidem credo, in dies et in generationes posteras fama eius augebitur, Poloniae olim praeclara quae fuerat, quae vero ei et mater et praeceptrix evasis, strophium et diadema praestantissima nomine eius addentur.

Nimum laudatorum recenter virorum et Zola et Maupassant et d'Annunzio et Tolstoj facile homines obliviscantur necessum erit, Henricum Sienkiewicz summa in aestimatione habebunt.

Dr. THOMAS MISICKI,
Dioeceseos Cracoviensis presbyter.

Mense Aprili 1917, Williamsport, Pa.

Prof. Dr. K. Twardowski



